

quo narrationem finivit, multa notatu digna congere-  
ret. Sed nullo ordine, nullo certo consilio ductus,  
tempora valde turbavit, plerumque annos aperte falsos  
etiam in rebus suæ ætati proximis annotavit (11), mul-  
ta quæ nullo modo historiam illustrant recepit, præ-  
sertim miraculis et rebus prodigiis enarrandis (12),  
disquisitionibus theologicis et, ut verbo abutar, philo-  
sophicis (13) exponendis immoratus est. Quæ annum  
millesimum antecedunt ex fama hausisse videtur.  
Certe rerum scriptores nullos post Paulum ipsum  
novisse jam dixi; Vilæ enim S. Germani Antissiodo-  
rensis, S. Mauri et Brendani, quas affert (14), ad  
tempora antiquiora spectant; Maioli vero et Willelmi  
epistolas (15) facile aliunde recipere potuit. Postea  
quoque rex sæpius ex vago rumore accepit. Quamvis

A litteris operam dederit, et non solum scriptores eccle-  
siasticos, sed etiam poetas Latinos (16) legerit, in ter-  
rarum tamen situ definiendo (17), in urbium populo-  
rumque nominibus explicandis (18) errores ridiculos  
commisit. Quibus si addas superstitosum animum (19),  
sermonis inelegantiam, ne dicam horrorem (20), sane  
non valde auctorem commendandum putes. Verum-  
tamen quæcunque ipse vidit aut a cœteris accepit (21)  
fideliter in schedas retulit, animo satis candido et  
justo (22) sæculi genium descripsit, moresque deprava-  
tos coloribus vividis pinxit. In historia Gallica  
multa sunt quæ ex ipsius testimonio pendent: etiam  
de rebus in Germania et Italia gestis habet quæ alibi  
frustra quæras.

(11) Ultimis annis semper duobus annis a vero  
recedit, Conradi mortem in an. 1041 (V, 4), Hein-  
rici nuptias in an. 1043 (V, 1) collocans. Ita etiam  
eclipsis lunæ quam an. 1046 ascribit, jam 1014  
accidit, ita ut non ultra hunc annum narratio pro-  
cedat. Quod non satis perspexit Rivet *Ilist. litter.*  
VII, p. 401.

(12) Quod sibi propositum fuisse ipse dicit loco  
nota 9 allato.

(13) Cf. quæ initio de quatuor ætatibus cum qua-  
tuor elementis, virtutibus et fluviis comparatis dicit,  
quæ III, 8, contra hæreticos disputat, et alia multa  
ejusmodi.

(14) II, 8; III, 5; II, 2. In Vita Willelmi c. 45,  
etiam Gregorii Tur. librum De gloria martyrum et  
Vitam S. Benigni affert.

(15) I, 4; IV, 1. Cf. aliam Willelmi epist. in Vita,  
c. 19.

(16) Verbi gratia Terentium III, 9. Et ipse versus  
narrationi immiscet III, 9; et cum in monasterio  
S. Germani degeret, rogatus a conservis et fratribus  
ejusdem loci, ut altariarum titulos, qui a scholasticis  
viris compositi olim fuerant, sed, vetustate ut pene  
cuncta fatiscente, minime comparebant, reformaret,  
hoc libenter fecit.

(17) II, 3. Vesuvium in Africa collocat. IV, 8, de  
Germaniæ situ inaudita prorsus refert.

(18) I, 5 (Normanni); II, 3 (Aurelianus); III, 5  
(Cluniacum); IV, 8 (Retia et Leutici).

(19) Cf. III, 3; IV, 2 et 3 (quod cap. inscriptum  
est: Quod peccatis hominum exigentibus, Domino per-

B millente, a nequam spiritibus aliquando fiant mira-  
cula). V, 1, etc.

(20) Ita sæpissime participio utitur pro tempore  
finito, sæpe verborum nexum prorsus neglexisse  
videtur.

(21) Cf., præter locos jam allatos, III, 3; IV, 3, 6;  
V, 1; etiam III, 6: nam rei quam dicturi sumus tot  
testes exstiterunt, quanti in eadem civitate eo tempore  
vivebant homines; IV, 4: ut ipse postmodum conspe-  
ximus; IV, 6: Odolricus Aurelianorum præsul illuc  
pergens quid viderit nobisque narraverit; V, 3: refe-  
rente Widone Remorum archipræsule didicimus. Quæ  
de Odilone refert, ipse optime comperta habere  
potuit: cf. II, 8; IV, 7; V, 1.

(22) Ita falsum reliquiarum cultum perstringit IV,  
3), in simoniam non semel invehitur. Cf., præter  
locos infra editos, etiam II, 6, ibique præsertim ver-  
ba: Nam ipsi reges, qui sacræ religionis idonearum  
decretores personarum esse debuerant, munus largi-  
tione corrupti, potiore quempiam ad regimen  
ecclesiarum vel animarum dijudicant, illum videlicet  
a quo ampliora munera suscipere sperant. Notanda  
sunt etiam verba II, 4: Licet namque pontifex Ro-  
manæ Ecclesiæ ob dignitatem apostolicæ sedis cæte-  
ris in orbe constitutis reverentior habeatur, non lu-  
men ei licet transgredi in aliquo canonici modera-  
minis tenorem. Sicut enim unusquisque orthodoxæ  
Ecclesiæ pontifex ac sponsus propriæ sedis uniformi-  
ter speciem gerit Salvatoris, ita generaliter nulli con-  
venit quippiam in alterius procaciter patrare episcopi  
diœcesi.

## RODULFI GLABRI

CLUNIACENSIS MONACHI.

# HISTORIARUM SUI TEMPORIS LIBRI QUINQUE

AB ELECTIONE POTISSIMUM HUGONIS CAPETI IN REGEM AD ANNUM USQUE 1046.

*Opus cum vetusto exemplari Thuanæo collatum.*

(Duchesne, *Hist. Franc. Script.*, IV, init.)

## RODULFI GLABRI PRÆFATIO

Clarorum virorum illustrissimo ODILONI Clunia-  
censi cœnobii Patri, RODULFUS GLABER.

Justissima studiosorum fratrum querimonia, inter-  
dumque propria sæpius permotus, cur diebus nostris

git ut ipsi scilicet prælati ab eisdem quos subjectos habere debuere, affligantur, atque contumaces sentiant illos quos utique suo exemplo a justitiæ itinere fecere devios. Nec mirum præterea si, in aliquibus angustiis constituti, minus dum clamant exaudiuntur, quoniam ipsi sibi met per avaritiæ cumulum clausere misericordiæ ostium, cum certissimum nihilominus habeatur pro hujusmodi vicissitudine flagitii sæpissime imminere communem cladem populis et animantibus cunctis, nec non etiam plurimam pestem frugibus videlicet ex intemperie aeris. Sic quippe fieri contigit, ut hi scilicet qui omnipotentis Dei gregi sibi commisso ferre debebant salvationis adminiculum, opponerent eidem consueto beneficii obstaculum. Quandocunque enim defuit religiositas pontificum, ac marcessit distinctio regularis abbatum, simulque monasterialis disciplinæ vigor tepescit, ac per illorum exempla cætera plebs mandatorum Dei prævaricatrix existit; quid aliud quam totum simul humanum genus rursus in antiquum præcipitii chaos suæ perditionis spontanea voluntate illabitur? Ex ejusmodi rei procul dubio eventu, dudum ille antiquus Leviathan fiduciam conceperat, quod inundatio Jordanis fluvii os illaberetur illius, ut videlicet baptizatorum multitudo, per avaritiæ appetitum viam veritatis deserens, demergeretur in interitum. Et quia, ut ex auctoritate apostolica completum dignoscitur, frigescente scilicet charitate, ac superabundante iniquitate, in hominibus utique semet plus justo amantibus, solito crebrius ista, quæ retulimus, circa millesimum post nati Salvatoris Domini annum universis mundi partibus contigerunt.

#### CAPUT VII.

##### *De incendiis et mortibus nobilium.*

Septimo igitur de supradicto millesimo anno Vesuvius mons, qui et Vulcani olla dicitur, solito multipliciore hiatu evomens igne permistam sulphureo grandium saxorum multitudinem, qui usque in tertium rotabantur miliarium. Sicque suo halatu putido circa se inhabitabilem cæpit facere provinciam. Sed neque hoc puto silentio præterire, cur istud in sola Afaicana contingat regione. Primum denique ob telluris vacuitatem ex nimio ardore solis; et quoniam illuc iucumbit dexterum ab Oriente Oceanum mare, immensos undarum erigendo in sese recolligit vortices, quibus videlicet percussus reconditur aer telluris in gremio. Deinde vero, cum igniflua vaporazione, quo valet, eructuat ad supera. Si quidem aer sicut ex ordinali constitutione penetrat supera, si ex ejusdem ambigua natura, humoris scilicet atque caloris, sæpius exagitationes exprimit in aridis ignem, aut in humidis glaciem. Contigit interea pene universas Italiæ et Galliæ civitates ignium incendiis devastari, ipsamque urbem Romanam ex parte maxima igne cremari. Quod dum fieret, beati Petri Ecclesiæ tigna idem ignis arripuit, cæpitque sub æreo tabulatu consumendo lambere ligna. Quod cernens universa hominum multitudo

quæ aderat, nullam omnino compescendæ cladis artem reperiens, conversi unanimes voce clamantes terribili, ab ipsius apostolorum principis cycurrere confessionem, eum imprecantes, si non pervigil propriæ foret ad præsens defensor Ecclesiæ, multos in orbe terrarum a suæ fidei professione decedere. Statim vero vorax flamma, abietinas deserens trabes disparuit. Per idem tempus obierunt in Italia et in Galliis, qui præcipui erant pontifices et duces, nec non et comites. Primitus quoque papa Joannes, deinde Hugo marchionum optimus. Post hæc vero per Italiam quique nobiliores. In Galliis namque Odo et Heribertus, quorum prior Turonorum Carnotique, sequens vero Meldorum atque Trecorum comes exstitit, Tunc temporis etiam dux Rothomagorum Ricardus obiit, qui monasterium edificaverat nimum locuples, in loco qui dicitur Fiscampus, in quo etiam sepultus quiescit. Viellermus quoque Pictavorum dux sub eodem tempore vitam finivit. Pontifices item in Galliis quique religiosiores a sæculo excesserunt. Manasses videlicet vir sanctitate plenus Trecorum episcopus, et Gislebertus [*al. Engelbertus.*] Parisiorum, nec non et Geboinus Gatalaunorum, cum aliis pluribus. Inter quos etiam bonæ memoriæ sanctus videlicet Maiolus apud Silviniacum cænobium vitæ præsentis terminum consecutus. Cujus scilicet vitæ honestatem pretiosus etiam commendat transitus. Nam ad illius famam sanctitatis confluere ex universo Romano orbe viri et mulieres utrorumque ordinum plurimi, exinde referentes diversarum infirmitatum gratiam sanitatis. Desæviebat eodem tempore clades pessima in hominibus, ignis scilicet occultus, qui quodcunque membrorum arripuisset, exurendo truncabat a corpore. Plerosque, etiam in spatio unius noctis, hujus ignis consumpsit exustio. Sed cum in plurimis sanctorum memoriis hujus tremendæ pestis sint inventa remedia, maximus tantum concursus factus est ad trium sanctorum confessorum ecclesias, Martini scilicet Turonorum, atque Odolrici Bajoariorum, nec non et istius venerabilis patris Maioli, optatæque salutis inventa sunt beneficia.

#### CAPUT VIII.

##### *De Henrici ducis morte, et vastatione Burgundiæ.*

Igitur anno tertio de supradicto millesimo moritur in Burgundia dux Henricus apud castrum Pulliacum super Ararim fluvium, sepultureque Autissiodori apud eximium confessorem Germanum traditur Octobri mense. Sequente vero mense Decembri vespere Sabbati ante diem Dominicæ Nativitatis, apparuit in aere portentum mirabile: species videlicet seu moles ipsa immensi draconis, a septentrionali plaga egrediens, cum nimia coruscatione petebat austrum. Quod prodigium pene homines universos qui videre, infra Gallias terruit. Sequenti denique anno ascendit Rothbertus rex in Burgundiam cum magno exercitu pugnatorum, ducens etiam secum Ricardum Rothomagorum comitem cum triginta

alicum religiosorum monstrosa in eadem ecclesia phantasmata, atque a locello, quo inclusa habebantur ossa, formas nigrorum Æthiopum exisse, nec non ab ecclesia recessisse. Et licet plures sanæ mentis detestabile figmentum abominandum clamarent, vulgus tantum rusticanae plebis mangonem corruptum injusti nomen pro Justo venerans, olim in suo permansit errore. Nostamen idcirco ista retulimus, ut a multiformis dæmonum seu humanorum errorum, qui in orbe passim abundant, præcipue in fontibus seu arboribus ab ægris incaute veneratis, caveatur.

## CAPUT IV.

*De fame validissima quæ contigit in orbe terrarum.*

Imminente igitur anno incarnati Christi millesimo tricesimo tertio, qui est a passione ejusdem Salvatoris millesimus, obiit viri in orbe Romano famosissimi, sacræque religionis signiferi, Benedictus (25) videlicet papa universalis, ac rex Francorum, ut jam diximus, Robertus. Fulbertus quoque Carnoti præsulum incomparabilis, vir sapientissimus, nec non prænominatus pater monachorum fundatorque cœnobiorum eximius Willelmus, de quo etiam perplura forent dicenda utilia, nisi quod in libello, quem de vita et virtutibus illius edidimus, prolata dudum fuisse noscuntur. Unum restat tamen, quod novi ibidem minime contineri. Migravit enim prædictus Pater a sæculo ad beatorum requiem in Neustriæ partibus, in Fiscamnense videlicet monasterio supra mare Oceanum constituto, quod a Rothomagensis urbe quadraginta fere milliaribus distat, sepultusque est, uti tantum concedebat virum, in loco optimo ejusdem ecclesiæ. Post aliquot vero dies contigit ut puerulus ferme decennis valida confectus ægritudine ad sepulcrum illius gratia recuperandæ sanitatis duceretur, ibique a parentibus dimissus decubabat solus. Qui subito respiciens, vidit super idem sepulcrum insidentem aviculam formam columbæ præferentem, quam diu intuens obdormivit. Dehinc leni expletus somno, evigilans ita se reperit incolumem, ac si nihil ægritudinis persensisset. Suscipiunt itaque læti parentes suum, sit omnibus commune gaudium. Sequenti itaque tempore cœpit in universo orbe terrarum fames convalescere, ac interitus pene universi humani generis imminere. Nam temperies aeris sic intempestiva est effecta, ut nullius sationis proveniret tempus congruum, nec messioni præcipue ob inundantiam aquarum foret opportunum. Videbantur enim inter se ipsa elementa pugnam discordiæ agere, cum procul dubio vindictam exercerent humanæ insolentiæ. Assiduus enim imbris ita compluta erat universa tellus, ut in spatio trium annorum nulli reperirentur sulci utiles seminibus. Tempore quoque messis herbæ agrestes, atque infelix lolium, totam operuerant superficiem agrorum. Modius quoque sementis ubi magis proficiebat, reddebat in messe sextarium, ipseque sextarius vix referebat pugillum. Cœperat (25) Joann. XIX, non Benedictus, an. 1033 obiit.

A enim primitus hæc sterilitas ultionis in partibus Orientis: depopulando Græciam, devenit in Italiam. Dehinc infusa per Gallias, transiit ad universos Anglorum populos. Tunc vero constricta tota gens indigentia victus, majores ac mediocres fame pallebant cum pauperibus. Cessit enim raptus potentum universali inopie. Si quid ergo victus venundatus reperiebatur, arbitrio vendentis pro libitu erat excedere, seu accipere pretium. Nam in plerisque locis fuit modii pretium sexaginta solidorum, alias quoque sextarius solidorum quindecim. Interea post esum bestiarum et volucrum, urgente fame accerrima, cœpere homines præripere in cibum morticina quæque ac dictu horrenda. Quidam vero fecere confugium evadendæ mortis ad radices silvarum herbasque fluviorum, sed nequidquam: non ergo aufugium iræ ultionis Dei, nisi ad semetipsum. Horret denique referre quæ tunc generi humano corruptiones acciderunt. Heu! pro dolor! quod olim raro audiri contigerit, tunc rabida in edies compulit vocari ab hominibus humanas carnes. Arripiebantur autem viantes a se prævalentibus, membratimque dividebantur igneque decocti vorabantur. Multi quoque de loco ad locum famem fugiendo pergentes hospitibus recepti, noctuque jugulati, quibus sussepti sunt, in cibum fuerunt. Plerique vero pomo ostenso vel ovopueris, ad remota circumventos trucidatosque devoraverunt. Corpora defunctorum in locis plurimis ab humo evulsa, nihilominus fami subvenerunt. Quæ denique rabiei insanies in tantum excrevit, ut tutius moraretur solidarium absque rapitore genus pecudum quam hominum. Nam veluti jam in usum devenire deberet carnes humanas comedi, quidam decoctas detulit venundandas in forum Trenorchii, ac si fuissent alicujus pecudis. Qui deprehensus, crimen flagitii non negavit; deinde arctatus loris, igne crematus est. Carnem autem illam humo absconsam alter effodiens, noctu comedit. Pari modo et ille igne combustus est. Est nempe ecclesia a civitate Matisconense tribus fere millibus distans, in silva Castanedi sita, sine plebe solitaria, sancto Joanni dicata. Juxta quam locaverat quidam feralis homo tugurium, qui ibidem multitudinem transeuntium vel ad se divertentium trucidans, in nefandissimum sumpsit edulium. Contigit siquidem una dierum, ut vir quidam cum muliere illuc divertens ad hospitium, paululum conquievit. Dehinc cum duceret oculos per angulos tugurii, prospexit detruncata capita virorum, atque mulierum, et infantium. Qui protinus palluit, egredi cupiens, sed pestifer ille possessor tugurii renitens, vi manere compellebat. Sed ille pertimescens mortis decipulam, prævaluit, concitusque ad civitatem cum uxore perrexit. Ad quam veniens, quod comperet Ottoni comiti, cæterisque civibus indicavit. Qui protinus mittentes viros quamplurimos, qui rei veritatem inquirerent, pergentesque velocius repererunt illum crudelissimum in suo tugurio cum quadraginta octo

capitibus trucidatorum, quorum carnes ore belluino voraverat. Quem deducetes ad civitatem, in quodam horreo religatum ad stipitem, ut ipsi postmodum conspeximus, igne combusserunt. Tunc etiam perlentatum est in eisdem partibus, quod nusquam comperimus quempiam fecisse. Effodiebant enim plerique albam humum argillæ similem, permiscentes quantum erat farinæ, vel cantabro; exinde panes conficiebant, ut vel sic inediæ mortis succurrerent. In hoc conficiendo spes tantum erat evadendi, sed profectus inanis. Tenebat ergo pallor et macilentia ora cunctorum, cutisque distensa inflatione in plurioribus apparebat, ipsæque voces humanæ perexiles effectæ, garritus morientium avium imitabantur. Tunc nihilominus e cadaveribus mortuorum passim præ multitudine sepultura carentibus lupi adescati post longum tempus prædam cepere ex hominibus. Et quoniam, ut diximus, sepeliri singulatim ob multitudinem non quibant, constructa in quibusdam locis a Deum timentibus, quæ vulgo dicuntur carnaria, in quibus quingenti, et eo amplius, seu quantum capere poterant, permistim absque ordine projecta sunt seminuda, vel absque tegminibus, defunctorum corpora. Trivia quoque et agrorum succisiva pro cæmeteriis habebantur. Si qui vero auditu compererant quod melius haberent, si ad alia transirent arva, per plures in itinere deficientes moriebantur. Desævit enim in orbe terrarum, peccatis hominum exigentibus, prædictæ pestilentiæ clades in spatium trium annorum. Tunc in expensis egenorum distracta sunt ecclesiarum ornamenta, dispersitque thesauri, qui ob hoc in decretis Patrum inveniuntur ibidem primitus fuisse repositi. Sed quantum supererat vindictæ justæ ultionis, excessit nimietas egenorum in plerisque locis thesauros ecclesiarum. Nam et ipsi famelici nimia affecti inedia, si contigisset eos repleti cibo, distanti inflatione protinus moriebantur. Alii autem cibos manibus contrectantes, ori tentantes imponere, sed conquiniscendo deficiebant, non valentes explere quod cupiebant. Quantus enim dolor tunc, quanta mœstitia, qui singultus, qui planctus, quæ lacrymæ a talia cernentibus datæ sunt; præcipue a viris ecclesiasticæ religionis, episcopis videlicet atque abbatibus, monachis et sanctimonialibus, simulque omnibus in commune utriusque sexus et ordinis Deum metuentibus, non valet stylus quiespiam explicare characteribus. Æstimabatur enim ordo temporum et elementorum præterita ab initio moderans sæcula in chaos decidisse perpetuum, atque humani generis interitum. Illud præterea stupore nimio permirabilimum, quoniam in tam clandestina divinæ ultionis calamitate rarissime reperiebantur, qui pro talibus contrito corde et humiliato corpore, ut expediebat, leverent corda cum manibus ad Dominum, sibi que subveniendum interpellarent. Tunc nempe Isaianum illud elogium nostro impletum est tempore quod dixit: *Populus non est conversus ad percutientem se.*

A Erat enim in hominibus quædam duritia cordis cum hebetudine mentis, et quoniam ille summus Judex et auctor totius bonitatis dat velle rogare se, qui novit quando debeat misereri.

## CAPUT V.

*De pace et abundantia anni millesimi a passione Domini.*

Anno a passione Domini millesimo memoratæ cladis penurias subsequente, sedatis nimborum imbribus respectu divinæ bonitatis et misericordiæ, cœpit læta facies cœli clarescere, congruisque æthereis flare p'acidaque serenitate magnanimitatem Conditoris ostendere; telluris quoque tota superficies amicabiliter virens frugum abundantiam funditus inopiam expellendo portendere. Tunc ergo primitus cœpere in Aquitanæ partibus ab episcopis et abbatibus, cæterisque viris sacre religionis devotis ex universa plebe, coadunari conciliorum conventus. Ad quos etiam multa delata sunt corpora sanctorum atque innumerabiles sanctarum apophoretæ reliquiarum. Dehinc per Arelatensem provinciam, atque Lugdunensem, sicque per universam Burgundiam, usque in ultimas Franciæ partes, per universos episcopatus indictum est, qualiter certis in locis a præsulibus magnatibusque totius patriæ de reformanda pace et sacre fidei institutione celebrarentur concilia. Quod etiam tota multitudo universæ plebis audiens, lætanter adiere maximi, mediocres ac minimi: parati cuncti obedire quidquid præceptum fuisset a pastoribus Ecclesiæ, non minus videlicet, quam si vox emissa de cœlo hominibus in terra loqueretur. Terrebat enim universos clades præteriti temporis, instabatque metus ne adipiscerentur opulentiam futuræ ubertatis. Erat quippe descriptio capitatum digesta, qua continebantur tam illa quæ fieri prohibebantur, quam ea quæ devota sponione omnipotenti Domino offerre decreverant. In quibus potissimum erat de inviolabili pace conservanda, ut scilicet viri utriusque conditionis, cujuscunque antea fuissent rei obnoxii, absque formidine procederent armis vacui. Prædo namque aut invasor alterius facultatis legum distractione arctatus, vel donis facultatum, seu penis corporis acerrime multaretur. Locis nihilominus sacris omnium ecclesiarum honor et reverentia talis exhiberetur, ut si quis ad ea cujuscunque culpæ obnoxius confugium faceret, illæsus evaderet, nisi solummodo ille qui pactum prædictæ pacis violasset; hic tamen captus ab altare præstatutam vindictam lueret. Clericis similiter omnibus, monachis et sanctimonialibus, ut si quis cum eis per regionem pergeret, nullam vim ab aliquo pateretur. Plurima autem in eisdem conciliis constituta sunt, quæ per longum duximus referre. Illud sane memorandum, quod omnibus in commune placuit, qualiter omnibus hebdomadibus sanctione perpetua, sexta die abstinere a vino, et carnibus septima: nisi forte gravis infirmitas compelleret, aut celeberrima solemnitas interveniret. Si vero effectio aliqua

intercederet, ut hic tenor paululum laxaretur; tres A proinde pauperes victu sustentaretur. Tunc innu-  
mere sanitates patratæ sunt infirmantium in eisdem  
conventibus sanctorum. Sed et ne cui frivolum vi-  
deretur in multis disrupta cutis, discissaque caro  
crurium et brachiorum nuper curvorum, erigendo  
in statum pristinum plurimussanguis effundebatur.  
Quod utique in cæteris, quæ dubitare poterant,  
fidem præstabat. Quibus universi tanto ardore ac-  
censi, ut per manus episcoporum baculum ad cælum  
elevarent, ipsique palmis extensis ad Deum, Pax,  
pax, pax, unanimiter clamarent, ut esset videlicet  
signum perpetui pacti de hoc quod spoponderant  
inter se et Deum: in hac tamen ratione, ut evoluto  
quinquennio confirmandæ pacis gratia idipsum ab  
universis in orbe fieret mirum in modum. Eodem  
denique anno tanta copia abundantæ frumenti et  
vini, cæterarumque frugum exstitit, quanta in sub-  
sequente quinquennio contigisse sperari non potuit.  
Aliquis enim victus humanus, præter carnes seu  
deliciosa pulmentaria, nullius erat pretii. Erat au-  
tem instar illius antiqui Mosaici magni Jubilæi.  
Sequenti vero anno tertio et quarto non minus  
provenit. Sed heu! proh dolor! humana denique  
stirps immemor beneficiorum Dei, ab initio prona  
ad malum, veluti canis ad vomitum, vel sus lota in  
cœni volutabrum, irritum in multis fecere propriæ  
sponsionis pactum. Et sicut scriptum est: *Impin-  
guatus et dilatatus recalcitravit*. Nam ipsi primates  
utriusque ordinis in avaritiam versi cœperunt  
exercere plurimas, ut olim fecerant, vel etiam eo  
amplius, rapinas cupiditatis. Deinde mediocres ac  
minores exemplo majorum ad immania sunt flagitia  
devoluti. Quis enim unquam antea tantos incestus,  
tanta ad ulteria, tantas consanguinitatis illicitas  
permisiones, tot concubinarum ludibria, tot malo-  
rum æmulationes audiverat? Insuper ad cumulum  
tanti mali, cum non essent in populo, vel rari, qui  
cæteros corrigentes talia redarguerent, impletum  
est prophetæ vaticinium, quod ait: *Et erit sicut po-  
pulus, sic sacerdos*. Præsertim cum tunc in sæculari  
potestate, tum etiam in ecclesiastica religione, totius  
regiminis personæ constiterant in puerili ætate.  
Propter peccata enim populi contigit tunc illud  
Salomonicum, quod ait: *Væ tibi, terra!* Nam et  
ipse universalis papa Romanus, nepos scilicet duo-  
rum Benedicti atque Joannis, qui ei præcesserant, D  
puer ferme decennis intercedente thesaurorum pec-  
unia electus exstitit a Romanis. A quibus exinde  
frequenter ejectus ac inhoneste receptus nulla po-  
testate vixit. Et, ut jam superius taxavimus, cæ-  
teros tunc temporis Ecclesiarum prælatos aurum  
potius vel argentum exaltabat quam meritum.  
Proh pudor! de his evidentissime Scriptura ait,  
imo os ipsius Dei: *Principes exstiterunt, et non  
cognovi*.

## CAPUT VI.

*De confluentia populi totius orbis, quæ ad sepulcrum  
Domini Hierosolymis facta est.*

Per idem tempus ex universo orbe tam innu-  
rabilis multitudo cœpit confluere ad sepulcrum  
Salvatoris Hierosolymis, quantam nullus hominum  
prius sperare poterat: primitus enim ordo infério-  
ris plebis; deinde vero mediocres; posthæc perma-  
ximi quique reges, et comites ac præsules. Ad ulti-  
mum vero, quod nunquam contigerat, mulieres mul-  
tæ nobiles cum pauperioribus illuc perrexere. Plu-  
ribus enim erat mentis desiderium mori, priusquam  
ad propria reverterentur. Contigit enim ut quidam  
a Burgundiæ partibus ex Augustidunense territorio  
Lethaldus nomine cum cæteris illuc pergens deve-  
niret. Qui prospectis locis omnium sacerrimis, cum  
ad illud locum montis Olivati devenisset contigit,  
ex quo Salvator ad cœlos ascendens tot cernentibus  
idoneis testibus, venturus inde judicare vivos et  
mortuos, est repromissus, projiciens se in cruda  
modum, toto prostratus corpore cum lacrymis in-  
narrabile mentis júbilo exsultavit in Domino. Re-  
rigens se identidem, palmis ad cælum extensis,  
nisu quo poterat corpus librabat in altum, ac in  
voce hujusmodi aperiēbat mentis desiderium. Aiebat  
namque: « Domine Jesu, qui propter nos de sede  
majestatis tuæ ad terras descendere dignatus es,  
ut genus humanum salves; quique ex hoc loco,  
quem oculis intueor, carne vestitus remeasti ad  
cœlos unde veneras: obsecro tuam omnipotentis si-  
mam bonitatem, ut si hoc anno est mea anima ex  
hoc corpore migratura, non hinc recedam, sed in  
conspectu loci tuæ ascensionis fieri contingat. Credo  
enim quoniam sicut te secutus sum corpore, qualiter  
ad hunc devenirem locum; sic anima mea illuc et  
gaudens post te sit ingressura ad paradisum. « His  
peroratis, reversus est cum sociis ad hospitium.  
Erat autem jam hora prandii. Cæteris vero discum-  
bentibus, conversus ipse ad lectulum vultu alacris,  
ac veluti gravi sopore paululum requieturus, illic  
namque obdormiscens, ignoratur quid viderit, pro-  
tinus dormiens exclamavit: Gloria tibi, Deus; gloria  
tibi, Deus! Socii quoque hæc audientes, monebant  
illum ut surgens comederet. Qui noluit, sed vertens  
se in latus aliud, dixit se pati aliquid incommodi.  
Recubansque usque ad vesperum, convocatis sui  
itinēris sociis vivificæ eucharistiæ requirens accepit  
viaticum, illisque dulciter salutatis emisit spiritum.  
Iste procul dubio libera vanitate, ob quam multi pro-  
ficiscuntur, ut solummodo mirabiles habeantur, de  
Hierosolymitano itinere in nomine Domini Jesu fide-  
liter petivit patrem, quod et accepit. Cujus socii rever-  
tentes, nobis ea quæ diximus retulerunt positæ tunc  
apud Besue monasterium. Eodem quippe tempore  
Odolricus Aurelianorum præsul illuc pergens, quid vi-  
derit nobisque narraverit, non prætermittendum vi-  
detur miraculum. Die igitur magni illius Sabbati, quæ  
ignis mirabili Dei potentia veniens ab universo po-  
pulo præstolatur, ibi cum cæteris idem præsul astra-

bat. Jamque dies ipsa in vespertinum transiens, repente, A penes horam qua sperabatur ignis affuturus, unus Sarracenorum, scurra impudentissimus, ex plurima illorum multitudine quæ annuatim semper una cum Christianis adesse solet, exclamavit, ut Christianis mos est, cum primum videtur : *Agnos, Kirie eleison, cavillanter cachinnum emisit, extensaque manu arripuit cereum de manu cujusdam Christiani, aufugere tentans. Qui, illico arreptus a dæmonio, turpiter nimium vexari cæpit. Quem prosequens Christianus, cereum abstulit. Ille vero tortus acerrime, protinus inter Sarracenorum manus exspiravit. Quod factum omnibus in commune terrorem immisit, Christicolis tamen gaudium et exultationem præbuit. Statim vero, ut assolet, Dei virtute erumpens ignis ex una lampadarum, quæ septem ibidem pendere cernuntur, cursim eructando cæteras inflammavit. Quam etiam cum suo oleo præfatus episcopus emens auri libra a Jordano, qui tunc præerat patriarcha, secum detulit, atque in sede propria reponens, plurima infirmis contulit beneficia. Detulit etiam Roberto regi partem prægrandem venerabilis crucis Domini Salvatoris, missam a Constantino imperatore Græcorum cum multitudine palliorum olosericorum, cui isdem rex miserat per eundem episcopum spatham capulum habentem aureum, thecamque auream cum gemmis pretiosissimis. Tunc etiam inter cæteros Robertus Normannorum dux cum ingenti multitudine suæ gentis Hierosolymam proficiscens, detulit secum plurima auri et argenti donoria, erogandi gratia. Qui dum rediret, apud Niceam obiit urbem, ibidemque sepultus quievit. De quo maximum apud suos idcirco exstitit justitium, quoniam non fuerat ei proles matrimonio aliqua ad regimen suscipiendum provincię, quamlibet sororem Anglorum regis Canuc manifestum est duxisse uxorem, quam odiendo divortium fecerat. Ex concubina tamen filium genuerat, Willelmi nomen atavi ei imponens. Cui, antequam proficisceretur, universos sui ducaminis principes militaribus astrinxit sacramentis, qualiter illum in principem pro se, si non rediret, eligerent. Quod etiam statim ex consensu regis Francorum Henrici unanimiter postmodum firmaverunt. Fuit enim usui, a primo adventu ipsius gentis in Gallias, ut superius pernotavimus, ex hujusmodi concubinarum commixtione illorum principes exstitisse. Sed et hoc ne supra modum putetur abominabile, libet comparisonem de filiis concubinarum Jacob inducere, qui ob hoc non caruere paterna dignitate, inter cæteros fratres constituti patriarchæ. Et longo post inferiore tempore singularis monarchię, magnus imperii proto-Christicola Constantinus ex concubina Helena legitur genitus fuisse. Præterea dum quidam de sollicitioribus qui eo tempore habebantur, consulti a pluribus fuissent quid tantus populorum concursus ad Hierosolymam designaret, olim sæculi inauditus præteriti, responsum est a quibusdam, satis caute, non aliud portendere quam adventum illius perditionis An-*

tichristi, qui circa finem sæculi istius, divina testante auctoritate, præstolatur adfuturus. Tunc et gentibus universis via Orientis plagæ, unde venturus est, patefacta, obviam illi cunctæ nationes incunctanter sint processuræ. Revera ut illud Dominicum adimpleatur præsagium : *Quoniam tunc in tentatione incident, si fieri potest, etiam electi.* Hujus hic meta verbi. Cæterum non negamus devotum laborem fidelium exinde præmium seu mercedem percipere a justo Judice.

## CAPUT VII.

*De præliis Sarracenorum adversus Christianos in Africæ partibus.*

Sub iisdem vero temporibus consurgens rediviva Sarracenorum in Africæ partibus adversus Christianorum populum perfidia, persequendo eos terramarique quosquos reperire poterant, quosdam ex coriabant vivos, alios trucidabant. Et cum jam diu multumque inter utrosque debacchatum plurima cæde fuisset, pluresque strages ab utriusque partibus datæ, contigit ut ex deliberatione partis utriusque in cominus illorum acies pugnaturæ devenirent. Illi præsumentes confidebant in rabida feritate immensæ suæ multitudinis, victores sese fore existimabant. Nostri vero, licet admodum pauci numero, Dei omnipotentis auxilium invocantes per interventum genitricis ipsius Mariæ sanctique apostolorum principis Petri omniumque sanctorum, sperabant de illis fiducialiter obtinere triumphum. Præcipue quoque in voto, quod in ipsius procinctu bellovoentes, sese obstrinxerant ut, si videlicet manus Domini valida gentem illam perfidissimam in manus illorum concluderet, potito de illis triumpho, quidquid auri argentique seu cæteræ suppellectilis ex eisdem capere contigisset, totum omnino ad locum Cluniaci, apostolorum principi Petro destinarent. Jam cum namque, ut superius pernotavimus, plures ipsius gentis viri religiosi in eodem cœnobio sacri instituti habitum suscipientes, totam gentem ad amorem ejusdem loci conciverant. Sed quid plura? inito pugne certamine, diu multumque congressum est. Christiani tamen omnino illæsi victores apparebant. Ad ultimum quoque tantus horrois tremor invasit Sarracenorum exercitum, ut, veluti pugne obliti, fugam arripere tentantes, quamvis nequidquam, propriis irreti jaculis, imo virtute Dei stupentes hæserunt; Christianorum vero quantus erat cuneus divino fortificatus auxilio, tanta eosdem cæde prostravit, ut ex innumerabili multitudine illorum vix pauci evaderent. Motget nempe princeps illorum, qui quasi Moyses ita confuse nominatur, illo prælio dicitur defuisse. Collectisque spoliis confecerunt ex eisdem plurima argenti talentorum pondera, memores voti quod Deo spoponderant. Est namque mos Sarracenorum ad prælia euntium, ut sese phaleris argenti vel auri plurimum perornent. Quod tunc etiam devotioni nostrorum præstitit augmentum, qui protinus miserunt quidquid exinde provenit, ut voverant, ad Cluniense monasterium.